quotidie facis. Quanti illud porrò æstimare me oportéat, quod in sæcula iturus autor itineris me, id est immortalitatis tuæ comitem adsciscis, quamquam exprimere uti par est nequeo, intelligere me, ut æquum est, credo. Enimvero sic agi mecum statuo, ut qui marceor inglorio nomini nostro, gravis incumbat contagio tui non obscure arceatur vel exigatur dum tanquam odoratæ pellis attactu, mucescere lacinias sic meas prohibes, ut spes sit etiam boni olim odoris apud posteritatem fore; jamque ubi tuo sale condimentum hauriat, exiguum istud vitæ meæ, et quod victurum polliceris, cum non ero. Umbra utique non obscuri nominis, quod coævum tuo recensebitur, documento tam illustri ut dignoscamur, et amici fuisse. Oillud simus, patere Heros, quamdiu futuri sumus, nec si quando in me deprehenderis, quamobrem te poenitere hujus vinculi deceat, detrudi me sine, ex nobili possessione in quam solus me immisit favor tuus, sola humanitas tolerat. Vale Hagæ Com: 4. Non: Martii CIƆIƆCXXXII.

Vossio.

Vir Amplissime. (151).

Clarissimi Barlæi, atque, ut confido, charissimi in Reip: illo literario consulatu collegæ tui casus, quantoperè me afflixerit, par dicendo non sum. Rogatum verò te venio, ut quo loco in præsentia res ejus sint, quæ Medicorum de gravi valetudine sententia, quæ prognosis, indicare ne graveris, ἵνα χαίρω σὺν ψυχῷ, si quid lucidi intervalli superesse nunciaveris, quo rediturum sibi, sæculo et amicis nobile ingenium sperare liceat. Poteram hâc de re alijs molestus esse in magnâ Urbe, quæ me inter peregrinos non censet, sed cum ipsius ægri interesse judicarem, ne, vel inquirendo περὶ ὁκαίσσ, ut vocemus calamitatis rumor increbesceret, occurristi solus, apud quem, citra communis amici præjudicium, liceret curioso esse. Ignosce vir summe et me ama. et vale. Hag: Com: 5. Id. Mart: CIƆIƆCXXXII.

Barlæo.

Clarissime Barlæe (153).

Si quantoperè delectatus sim literarum tuarum postliminio apertè ti significem, scias eâdem operâ quam adanimum renocaverim obortam illam sinistro casu molestissimam valetudinem; quod cum nescire te præstet, quam ut